

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2125

Auteur(s) : Évreux (official)

Bénéficiaire(s) : Évreux, Saint-Taurin (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1268, janvier

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

En présence de l'official d'Évreux, Pierre Hays, de la paroisse de Louviers, reconnaît avoir vendu et cédé à l'abbé et aux religieux de Saint-Taurin, au prix de cent sols tournois, dix sols tournois de rente, que les religieux lui devaient sur une maison située à Louviers, entre le moulin Jourdan et la maison de Bernard Tyeulin.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodore, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CCLXXVII, p. 316-317.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie Ebroicensis, salutem in Domino.
Noveritis quod in nostra presentia personaliter constitutus Petrus dictus Hays, de parrochia de Locoveris, recognovit in jure coram nobis se vendidisse, concessisse et omnino dimisisse viris religiosis abbati et conventui Sancti Taurini Ebroicensis, decem solidos turonenses annui redditus, in quibus dicti religiosi tenebantur eidem Petro singulis annis ad festum sancti Remigii, super quadam domo sita in predicta parrochia inter domum Bernardi Tyeulin, ex una parte, et molendinum Jordani, ex altera ; et abotat ad gardinum dictorum religiosorum. Tenendum et habendum et jure hereditario in perpetuum possidendum eisdem religiosis et eorum successoribus, libere, quiete et pacifice, sine reclamatione dicti Petri et ejus heredum de cetero facienda, pro centum solidis turonensibus de quibus idem Petrus in jure coram nobis se tenuit plenarie pro pagato ; obligans se et heredes suos quoscumque et omnia bona sua quocumque jure censeantur eisdem religiosis quantum ad premissa tenenda, deffendenda et eciam eisdem in perpetuum garantizanda.

Aalicia vero, mater dicti Petri, vidua, in eadem juris instancia coram nobis personaliter constituta, predictas venditionem et concessionem laudavit a dicto Petro factas, voluit, concessit et approbavit et ratas habuit. Et juraverunt predicti Petrus et Aalicia, ejus mater, coram nobis, tactis sacrosanctis Evangelii, spontanei non coacti, quod contra premissa per se aut per alium non venient in futurum, et maxime idem Petrus, ratione minoris etatis, et dicta Aalicia, ratione dotis, dotalicii seu aliqua alia ratione ; renunciantes, in hoc facto exceptioni doli, mali, exceptioni deceptionis ultra medietatem justi precii, omni actioni personali et reali, exceptioni fori, privilegio crucis assumpte et assumende, et omni alii privilegio indulto et indulgendo et omni alii juris auxilio, canonico et civilis, per quod possent se tueri contra premissa in toto vel in parte, et que predictis Petro et Aalicie contra premissa possent prodesse et dictis religiosis et eorum successoribus obesse, se et suos heredes et omnia bona sua mobilia et immobilia ubicumque reperta fuerint quo ad premissa juridictioni curie Ebroicensis supponentes.

In cuius rei testimonium, ad petitionem parcum, et ut premissa rata et stabilia permaneant in futurum, presenti carte sigillum curie Ebroicensis apposuimus.

Actum et datum mense januario, anno Domini M° ducentesimo sexagesimo septimo.

